



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXIIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

ciues sunt periclitati, casti, captique, magno ciuitatis detrimento, quæ temeritatis suæ damna luit tam insigniter. Erat autem septuagesimus tum nonus post mille quadringentos, cum instruerentur ad militiam, in reliquum futuri cautiore.

CAPVT XXIIII.

MAximilianum ducem, vt omne genus experiretur belli, tum cœpit intestina dissensio cõturbare: Nam Gandauenses (populus ad temeritatem promptus) cœperunt queri de crebris impositionibus & collectis, quæ longè supra solitum crebrescerent. Neruus autem belli pecunia est: Nõsse oportebat ducem suum satis pro se contendere, quod capitis totiès discrimen ipse adiret. Tum verò belli impensam sine murmure facerent, quorum sanguini parceretur, & ipsi hostibus obijciantur. Mouit seditioni paratum populum, quod arbitrarentur primores nobilitatis ad hoc niti, vt sua expleant, ciuium exhauriant marsupia. Visum est illis esse in officijs publicis, qui suam potiorem, quàm publicam causam haberent: eamq; coniecturam de suis sumpsere moribus: quod nulla gens tam excrescit opibus in publicis officijs, quàm qui in occiduis partibus publicam tractant pecuniam. Vidimus etate nostra aliquot, qui ex infima emerere fortuna in eam opulentiam, vt arces in prædijs exadificarent. In Hollandia præcipuè oppido Dordraco, intestina tum ciues agitabat discordia. Iohannes autem de Egmundia baro, recepto in potestatem ducis oppido, facillè compescuit tumultuantes. Ex Geldria quoquè nonnihil rebellionis nunciatur: & tamen dux per capitaneos suos rem prosperè gessit: Nam Philippus de Beuers Flandriam occiduam tutatur, cum præfecto Zalazart. Alij quoquè in Hannonia prosperè res gerunt,

fugato & Wilhelmo de Arberg, qui tum regi Francia militabat, & Leodiensi episcopo per omnia erat infestus. Multa ducem impulerant, ut tum treugas iniret cum rege. Nam Geldria, ut diximus, motus novos concituit. Rex autem ante treugas, sancti Audomari, & Aria vrbes sibi reddi postulauit: cum dux vicissim Arthesiam totam reposeret. Duacum rex secretè iussit pertentari, impetique: Sed Gandauenses qui primi persensere, XL. millium exercitum conscripsere, malentes suis manibus remagere, quam extortam pecuniam permittant Alemanis in pradam: praesertim, quod eius oppidi commodis carere non possint, inde per annum deuectis in urbem suam frugibus. Sed tum valere induciae inter regem & ducem Austriae, per quas dux conuersus in Geldriam, motus eius compescere instituit, cum interim incola suo duci studerent paruulo. Grauiam oppidum tum cepere Brabantini, & tenuere diu. Inde cum in Cliuensem quoque ducem niterentur, res interuentu bonorum virorum ad tolerabiles conditiones exiuit. Hollandia parere suo principi inuita compellitur, inducys iam inter regem & ducem protelatis: Non cessauere tamen regis Camera cum infestare: sed defensum est egregie. Ducales vicissim tentauere Hespunum, sed repulsi sunt. Ita vicissim de violatione treugarum fiunt querimoniae, cum vtriusque contenderint priorem partem alteram violasse, temerasseque, inducias pacatas. Sed tum iterum de integro annales treugae intercessere.

CAPVT XXV.

TRaiectenses per tempus episcopum suum exclusere, & Wulfardum de Veris sequentes capitaneum: quando etiam Iohannes de Dudenzel Gandauensium capitaneus, cum verbis contenderet aduersus nobilem Burgundio-